



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Enarratio Epistolæ Prioris Ad Timothevm, Et Dvorvm Capitum secundæ

Melanchthon, Philipp

Vitebergæ, 1561

VD16 M 3167

Certus est sermo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36308

I. EPISTOLA AD

ca 11. Quanto magis pater uester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus: Et pio studio discamus ueritatem, & caueamus ne eam oppugnemus.

Ceterum sunt discrimina inter errata ignorantiae, & delicta contra conscientiam, quae utriusque multiplicia sunt, Nam & affectata ignorantia delictum est contra conscientiam, Et interdum fit affectata ignorantia blasphemia, ut in multis Phariseis cum uidelicet corda conuicta testimonijs diuinis, tamen ardent odio, & conantur delere uocem Dei, Et alijs persuadere esse eam Diabolicam. Haec discrimina peccatorum iudicari postea possunt, cum uidemus aliquos indulgentes suis furoribus ad poenitentiam redire noluisse.

Certus est sermo.

Supra de Lege concionatus est, nunc inserit summam Euangelij, sed ualde breuiter, quod scribit ad auditorem qui fuerat ipsius comes longo tempore, & bene cognouerat totam doctrinam uocem. Ac initio asseueratio posita est, Certus est sermo & firmissimè amplectendus. Hac asseueratione in nobis quoque fidem confirmemus, ut ex dubitationibus eluctemur, & uerè statuamus nos recipi & exaudiri.

TIMOTH: CAP. I. 15

Hic autem repetat unusquisq; apud sese integram doctrinam de Iustificatione, de qua semper eodem modo dicimus, Et exordium doctrinae ex uerbis Domini sumimus, Ite praedicantes poenitentiam & remissionem peccatorum in nomine meo. Hac fieri oportet in conuersione. Primum oportet argui peccatum, perterrefieri corda, Sicut & Dominus inquit Mar: 1. cap. Agite poenitentiam, Et 2. Cor: 7. dicitur, Tristitia secundum Deum poenitentiam efficit ad salutem. Et Esai: ultimo. Ad quem respiciam? ad contritum & humiliatum, & trementem sermones meos. Et lusiurandum flagitat in nobis conuersionem cum inquit Ezech: 18. & 33. Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut couertatur & uiuat. Et exempla congruunt Adam, Eua, Dauid, accusantur & horribiliter expauescunt.

Hos pauores & sensum irae Dei uocauerunt usitate contritionem, de qua recte docendi sunt homines, ne uel nobis ipsi blandiamur caeca securitate, uel ruamus in desperationem, uel ledatur gloria Filij Dei, & deleatur Euangelium, Sicut Monachi tetros errores finxerunt, quibus Euangelium prorsus obscuratum est, & uera consolatio pijs mentibus erepta est. Quanquam enim uerum est oportere in nobis esse aliquam contritionem, aliquos pauores, & dolores quod Deum offen-

I. EPISTOLA AD

offenderimus, Tamen hi duo errores falsissimi sunt, quod oporteat sufficientem esse contritionem, & quod sufficiens contritio mereatur remissionem peccatorum. Primum enim nulla potest esse sufficiens contritio, & cum crescit dolor sine consolatione mergitur homo in mortem & in eternum exitium, iuxta illud Rom: 3. Lex inuicem efficit. Item 2. Cor: 3. Lex occidit. Deinde certissimum est remitti peccata Gratis propter Filium Dei, & nequaquam propter nostram contritionem uel dilectionem.

Sed perterrefactae mentes audiant uocem Euangelij quam hic recitat Paulus, Certus est sermo & firmissime amplectendus, quod Christus uenerit in hunc mundum saluos facere peccatores. Vult enim hoc dicere Paulus, uocem Euangelij de gratuita reconciliatione nequaquam notari esse iudicio naturali, nec esse uocem Legis, sed singulare & mirandum decretum esse diuinitatis de redemptione generis humani per Filium, ideo adserte inquit, Christus Iesus uenit in mundum, quod si dicat, iubeo te causam considerare cur in mundum uenerit Filius Dei, Non est missus sicut Moyses aut alij Prophetae, sed fuit hic mediator caelestis, & nunc ideo ad nos uenit ut fieret uictima. Et sciri oportet quae beneficia attulerit, & quomodo nobis adplicentur. Adfert autem remissionem

nem peccatorum, imputationem iusticiæ, donatio-
nem Spiritus Sancti, & uitæ æternæ. Et post hanc
uitam resurrectionem & uitam æternam. Acci-
piuntur autem in hac uita propter ipsum Gratis
non propter nostra merita, Sola Fide, remissio
peccatorum, imputatio iusticiæ, donatio Spiritus
Sancti & uitæ æternæ. Hæc est uox Euangelij
propria, cuius intellectum natium ut retinea-
mus, uocabula rectè intelligenda sunt, Nam ex
deprauatione uocabulorum aliæ tenebræ orta
sunt.

De uocabulo Iusticiæ.

Hebraica phrasis est in uerbo Iustificari, ut se-
dicam, Scipio iustificatus est accusantibus tribu-
nis plebis, id est, absolutus est, Et pronunciatum
est eum esse iustum. Ita hic iustificari homines
propter Mediatorē, est accipere eos remissionem
peccatorum, & pronunciarī iustos, id est, reputa-
ri iustos seu acceptos propter ipsum imputatā
nobis iusticiā ipsius. Et cum hac acceptatione
coniuncta est donatio Spiritus Sancti & uitæ
æternæ.

Et sit magis perspicuum uocabulum Iusticiæ
cum significatio Paulina discernitur à modis Phi-
losophicis. Nam iustus more Philosophico signifi-
cat